

vg. capite est, non quasi in partibus reliquis non sit, sed quod ubi cunq; est, non sit secundum sui partem. Hinc neq; corporis abscissa parte, ipsa mutilatur, cum sit indivisibilis: Quod exemplo luminis quodammodo capias. Hoc enim diaphanon actu informat; per molem ejus diffusum. Nec luminis particula quasi intelligetur abscissa, si vg: fenestris clausis vel obstructis, ex aëre illuminato evadat non illuminatus. Nec sese lumen ipsum retrahit obstructione ista ac veluti præscissione. Corrigenda ergo est imaginatio de animæ mutilatione, vel partis abscissione, aut retractione, &c.

9. *Nec indivisibilitas hæc obstat, quo minus per omnes corporis partes diffusa, & toti sit corpori coextensa.*

[ Quorsum item exemplum luminis diaphanon informantis, cum nonnulla sui extensione. Cum tamen & ipsum lumen sit Indivisibile. Ergo & in immateriatis concedenda aliqua extensio; sed non Quantitativa. Neq; enim *indivisibilia* hæc dicuntur, sicut punctum: cum per spatium aliquod rei materiatae verè præsentis esse possint angeli, non operatione tantum & effectu, sed substantia etiam, & (quod de anima dictum volo) unione. *Entitativam* si placet, dicamus extensionem hanc; cujus natura ex remotione Quantitativæ illius quodammodo innotescat.

10. *Nec informatio corporis quanti, animam ipsam reddit materiataam aut quantam.*

[ Quid enim si vel maxime, receptum omne recipiatur ad modum recipientis? Annon mutua hæc animæ corporisq; receptio est? Ergo non magis corpus quantum, animam recipiens, eam reddit quantam; quam corpus ipsum spirituale fit, eò quod à spirituali animæ essentia, actuetur & informetur. Recipit enim recipiens, prout recipere aptum natum est. Recipitur receptum, ut recipi aptum natum est. Recipit materia formam, ut singulæ compositi partes ea informentur; neq; eam extra patiatur extendi. Recipitur forma, ut sit in materia adæquatè; sive partibus materiæ respondeant partes formæ: seu tota sit in toto, & tota in partibus singulis.]

9. II. *Quibus animadversis, patet, quomodo Intellectus noster,*

*noster,*